



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Responsio cuiusdam Senis ad duos Philosophos. Capvt CLVI.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

tic, quando Namanes Sarracenorū nationis Dux  
 prædam egit, cū circuirem ego prope Arnonē,  
 & Aidonem, aspicio Sarracenos tres habentes se-  
 ctum vnum adolescentem valde formosum, an-  
 norum ferme viginti, vinctum, atque captiuum.  
 Vt ergo vidit me adolescens flere cœpit, & orare,  
 vt ab eis illum acciperem. Ego autem Sarracenos  
 rogare cœpi, vt dimitterent eum. Vnus autem il-  
 lorum Græco sermone respondit, & ait: Non di-  
 mittimus eum. Et ego rursus illis dixi: Accipite  
 me, & hñc dimittite, quia fatigationē nō sustinet.  
 Ait mihi & ipse rursus: Non dimittimus eum. Di-  
 xi eis tertio: Vel pretium pro illo non accipitis?  
 Date mihi illum, & quicquid petieritis, ego affe-  
 ram vobis. Respondit: Non possumus tibi dare  
 illum. Sacerdoti enim nostro promissimus, quia si  
 quid pulchrum cœperimus, offeremus illud ei,  
 vt ipsum in sacrificium offerat. Sed vade iam. Nā  
 si moram feceris, caput tuum in terram projici-  
 am. Tunc <sup>1</sup> prostratus ego humi dixi: Saluator  
 noster Christe Deus, saluum fac seruum tuum. Et  
 continuo tres Sarraceni dæmonio repleti, euagi-  
 natis gladijs se inuicem conciderunt. Assumensq;  
 ego adolescentem in speluncam meam, refoui il-  
 lum, & iam noluit recedere à me, sed renunciās  
 seculo, cū septem annos in habitu monastico  
 impleffet, & requieuit. Erat autem genere Tyrius.

<sup>1</sup> O magnam vim orationis cum prostratione.

*Responsio cuiusdam Senis ad duos Philosophos.*

CAPVT CLVI.

**D**Vo Philosophi venerunt ad senem, & orabāt  
 eum, vt eis verbum ædificationis diceret. Se-  
 nex verò tacebat. Rursū Philosophi dixerunt: Ni-  
 hil respondes nobis, pater: Tunc senex dixit eis:  
 Quod



Quod studiosi quidem sitis eloquentiæ, scio, quod autem non veri sitis Philosophi, affirmo. Quamdiu enim loqui discitis, quasi loqui nescitis. Sit ergo Philosophiæ vestræ opus semper meditari mortem silentioque, & quieti vos assuefacite.

*Relatio duorum monachorum monasterij Subeorum Syrorum de cane, qui fratri viam ostendit.*

C A P V T C L V I I.

**P**erreximus ego & Sophista Sophronius in monasterium Calamonis iuxta sanctum Iordanem, ad Abbatem Alexadrū, inuenimus apud eum duos Monachos monasterij Subeorum Syrorū. Narrauerunt autem nobis dicentes: Ante hos decem dies venit quidam peregrinorum susceptor elemosinas erogans, & veniens in Subiba Besorum, dedit benedictionem. Rogauit igitur Abbatem monasterij, dicens: Fac charitatem & mitte in proximum monasterium Syrorum, ut accipiant & ipsi venientes benedictionem, & nuntient monasterio Charēbe ut veniant & ipsi. Tunc Abbas misit fratrem ad Abbatē Subeuorū Syrorum. Profectus itaq; frater dixit ei: Veni vsq; ad monasteriū Besorum, nuntia ve ò & monasterio Charēbe ut veniāt & ipsi. Respondit senex: Frater, ignosce, quia nullum habeo, quem mittam, sed fac perfectam charitatem, & pergens ipse nuntia eis. At autem frater: Nunquam illuc perrexi, nec vni scio. Tunc ait senex catulo suo: Vade cum fratre isto vsq; ad monasterium Charembē, ut nuntiet eis, quod vult. Abijt ergo canis cum fratre, donec statuit illum iuxta monasterij ianuā. Ostenderit autem nobis & canem ipsum, qui ista narrauerūt. Habebant enim illum secum.